

The book cover features a complex, multi-layered decorative border. The outermost border is a wide, repeating pattern of small, stylized floral or geometric motifs. Inside this is a narrower border consisting of several parallel lines, with the innermost line being a simple double-line frame. The central area is a plain, textured brown surface.

BRACHYLOGIA

1568

L I V R A R I A
BARATEIRA, LDA.
R. Nova Trindade, 16-A

cat. 7, N° 77

Res.
3429V.

BRACHYLOGIA.



INVICTISSIMORVM AC PERINDE
 clarissimorum triumphaliumq3 Lusitaniæ Regum, Her
 culisq3 monstrorum domitoris laborum, ad prudentissi
 mum beneficentissimumq3 Principem Eduardum, sere
 nissimi Principis Eduardi charissimum filium, felicissi
 mi Regis Emanuelis longe dignissimum nepotem, cum
 eiusdem luculenta commendatione breuissima relatio,
 quæ Brachylogia siue Laconismus inscribitur. Ac simul
 de præstantissimæ Principis Mariæ, illustrissimiq3 vi
 ri Alexandri Farnesij, Parmæ necnō Placentiæ
 Principis nuptijs Bruxellæ celebratis tertio
 Idus Nouembris, anno 1565. Cada
 bale Grauiio Calydonio
 autore.



¶ Subij sanctæ Inquisitionis examen, cum Ordinariæ authoritatis comproba
 tione, ac nihil, quod pium Lectorem offendat, habet.

Excudebat Antonius Gonsales Typographus Olyssippone,
 anno 1568. Pridie Kal. Martij.

Res.
3429v.

BRACHYLOGIA



INVICTISSIMORVM AC PERINDE
clarissimorum circumspaliumq; Lusitanie Regum, Her
culisq; monasteriorum domitorum laborum, ad prudentiss
nam benedictionemq; Principum Eduardum, fere
nissimam Principis Eduardi christianissimum suum, feliciter
me Regis Emanuelis longe dignissimum nepotem, cum
civitem facientes commendatione premissa relatio
que Brachylogia huc I. ac omnia inscribitur. Ad simi
de prestantissimae Principis Mariae, illustrissimiq; vi
ri Alexandri Farnesii, Parmae necno Placentie
Principis nupis Brachylogia celebrata tanto
Idus Novembris, anno 1567. Caba
dale Gaudio Calydonio

ALICOR.



Excebat Antonicus Confales Typographus Olyssip
non, ac nihil, quod pium legatum ostendit, habet
p. suu. hanc inscriptionis examem, cum Ordinis auctoritate

anno 1568. Parisiis, apud R. H. Martini.

DE OPERIS CONCINNA ADMIRABI-
 lique breuitate, authorisque non indebita commenda-
 tione, ad clarissimum Principem Eduardum, do-
 ctissimi cuiusdam sacrae Theologiae Docto-
 ris Distrophon, commenda-
 titiumque car-
 men.

Lysiadum Regum stirpem, fera bella trophaea,
 Hercules & casus hoc breue monstrat opus.

Iure Laconismum vocitari Quintilianus

Morem hunc scribendi cum breuitate docet.

Piliam, idest Nestoriam.

Quis tot enim cupiens, & tanta volumina voluat?

Quanta & quot terris angulus omnis habet?

Aetatem Pyliam superet quis, scilicet horum

Vix decimam partem legerit ille quidem.

Qua propter Grauius quocunq; est munere dignus

Vates, dum Historiam, dumq; poema canit.

Nam ocyus, & paucis completitur omnia verbis,

Apponitq; oculis quicquid ab ore fluit.

Vnde tibi voluit prae excellentissime Princeps

In seruire, breui cui recitata placent.

Ille quidem doctus virtutis cultor & idem est,

Moribus antiquis, deditus atque tibi.

Ingenio pollet, sublimia carmina condit,

Temporibus nostris qualia nemo facit.

Brachylogia.

Mirandisq; modis magna comubia Parmæ

Principis vxoris pingit, & arte leuat.

Maiorum inuenies facile nonnulla tuorum

Hic monumenta, genus magnauiumosq; Ducēs,

Insignesq; patris laudes matrisq; sororum

Egregias dotes, præcipuumq; iubar.

Quod dedit Augusto Maro, magnus Homerus Achilli

Hoc tibi dat Cygni florida Musa tui.

Cygni. i. Poetz.

Talem igitur vatem, qualem vix protulit ætas

Nostra, tuæ Princeps semper habeto domi.

Vale plurimum dulce decus,

præsidiumque

meum.

Clarissimo

CLARISSIMO BENEFICENTISSIMO
 q3 Principi Eduardo, serenissimi illustrissimiq3 Princi-
 pis Eduardi filio, inuictissimi ac perinde felicissimi Lu-
 sitaniæ Regis Emanuelis quàm dignissimo nepoti,
 Cadabal Grauius Calydonius summam
 felicitatem, perpetuamq3 beatitu-
 dinem precatur.



*N*ista tua regali auctoritate, omnigena eruditione
 florentissimaq; etate singularem vereque Christia-
 nam pietatem, insignem humanitatem, aliarumque
 omnium virtutum egregij animi tui preciosum the-
 saurum non possum non laudare, non ad astra non
 ferre generosissime ac præstantissime Princeps. Sed aliquid dicere
 tentanti ea rerum occurrit copia, vt penitus ignorem quid mihi sit
 agendum, vnde exordium sumam, quid primum dicam, quo ve sermo
 ne, arduum & meis humeris impar negotium aggrediar, homo rudis
 & imperitus. Vnde commodius vtiliusq; ducerem pro rei magnitudi-
 ne tacere, quam de tot ac tantis præclarissimis gestis, gloriosissimisq;
 tuorum maiorũ victorijs atq; triumphis admodum pauca recensere.
 Plenum enim insolentiæ ac temeritatis videbatur, vel si tot pulcher-
 rima facinora, quæ amplissima innumeraq; sunt, recensere, vel quo
 uis modo demonstrare velim, quorum lumen & splendor omnium o-
 culos, mentesq; perstringit. Sed me nunc hæsitantem quod tibi bene
 merito deme munus offerrem, non mediocriter inuitabat, quod satis
 superq; per me factum iri putabam, si meam beneuolentiam, inenar-
 rabilemque amorem in celebratissimos vndequaq; Reges, à quibus
 A 3 nobilissimum

Brachylogia.

nobilissimum antiquissimumque genus longa serie ducis, inq. tuas clarissimique patris tui, matris ac sororum vberimas laudes quoquo pato pro mea tenuitate significarem. Nonnullamque gratitudinis portionem me relaturum esse simul arbitrabar, si quod agrestis ingenij vires suppeditabant, iucundissimo Principi, cui plura, quam ut inquam soluendo esse possim, saltem prestarem. Ante omnia (ut in quaedam acta exeam, sciantque omnes quam ex aequo obnoxius perpetuusq. debitor tue sublimitati, eternitatiq. sim) Quid inuictissimum ducem Alphonsum Henricum primum Lusitanæ regem a- Alphonsus Henricus primus Lusitanæ rex, huius nominis primus
 nimosi comitis Henrici filium pietate atq. armis notissimum tibi laudem? Quippe qui beati Iacobi Zebedæi festo anno 1139 Ouriquensi agro audaces Mauros Catholica fidei acerbos hostes collatis signis feliciter pugnando profligauit. Quoquidem die primus a suis merito Rex, (quod quinq. simul reges illo praelio superasset) appellatus est Capellicastrum, Eboram, fortunatissimam pulcherrimamque Olyssipponem à Mauris occupatam auxiliantibus Anglis, necnon alias vrbes, oppida, mirantique locorum situ castella victrice expugnauit manu, inq. Christianorum ditionem redegit, fideique restituit. Pos tot insignes victorias ac trophæa, in omnipotentis Dei, eiusdemque sacratissimæ matris honorem & gloriam erectis, constructis restitutisque templis canobisque, sanctissimis utilissimisque constitutis pro tempore legibus iam senio confectus (primam enim supra nonagesimum vitæ annum compleuerat) quum 46. prospere regnauisset, ex hoc exilio in Callicolarum consortium æternamq. requiem migravit. Cuius corpus Conimbrica in monasterio sanctæ Crucis ab eo magnifice, splendideque constructo sepultum anno 1185. Quid Sanctum. 2. regem regni succe- Sancius Lusitanæ rex forem

forem huius filium morum, sanctimonie paternaeque pietatis strenuum imitatore[m] tibi commendem? Ille profecto sic imperium gessit, gubernavit. Aequas sanctasque leges tulit, Divina atq[ue] humana sic curavit, ut optimo iure parenti conferendus sit, iuxta quem in eadem sede, numerosa relictia sobole acquirunt anno 1222. Quid regem tertium Alphonsum? quo regnante diuus Dominicus, Seraphicus Fraciscus atq[ue] beatus Antonius in caelum relictia terra recepti sunt.

Alphonfus 3 Lu.
rex huius nomi-
nis 2.

Quid Sancium regem ordine quintum filium eius extollam? qui sanctissimae Religionis cultor aeternis diuitijs terrena commutavit imperia, commissaq[ue] regni gubernatione dilectissimo fratri Alphonso, animae salutem diligenter consuluit, tempestive reiecta momentanea regnandi cupiditate, totum se sapienter Plasmatori suo deuotit. Quid enim aliud est in terris imperium gerere (si exacte consideres, aequa lance pensites) quam Sisyphi saxum volvere? Septentrionalemq[ue] bisontem humeris imponere, quam capram vix ferre possit mortalis homo. Quanquam patriam ab incurstantibus defendere, opulentas ac perinde florentes vrbes regere, vtilissima tradere instituta, de Christiana rep. bene mereri, Catholicam propagare fidem, iustitiam docere atq[ue] unicuiq[ue] demum quod suum est tribuere, nihilominus pulcherrimum habetur. Post obitum vero in Beatorum numero uolauit. Cuius corpus in Toletana Ecclesia conditum fuit anno 1247. Quid regem quintum Alphosum grauitate, prudentia, iustitia, aequitateq[ue] insignem tibi celebre? Quid eius praestantissimum filium regem Dionysium? Qui quum esset adolescens, egregiaq[ue] forma conspicuus, ad Alphosum Hispaniae regem materis auum se contulit. Cuius precibus rex Alphosus Lusitaniae ex pacto debita tributa libentissimo remisit. Anno suumq[ue] ius

Sancius 4 Lu.
rex huius nomi-
nis 2.

Brachylgia.

abdicauit, multisque muneribus affecit. Is 46 imperauit annis, obiit
 Capellicastri anno 1325. Quid eius Christianissimam Deoq. gratissi-
 mam uxorem Isabellam cuius corpus post animæ cōmigrationē in cœ-
 lum, Conimbricæ in diuæ Claræ templo ab eadem Regina erecto, con-
 ditum fuit, ubi assiduis miraculis scatet. Quid præterea regem septi-
 mum Alphōsum? qui Mauros pugna superauit. Quid
 armis et pietate conspicuum regem octauum Petrum? Alphōsus 7 Lus.
rex huius nomi-
nis. 4.
 cuius anima post mortem diuina permissione redijt in Petrus 8 Lus rex
huius nominis 8
 corpus. Quid tibi filium eiusdem Fernandum pacis cul- Fernāndus 9 Lus.
rex huius nomi-
nis primus.
 torem? Qui quamuis nihil memorabile fecisse videatur,
 nihilominus tamen cum cæteris merito laudandus ex-
 tat. Satis enim fuit regno Christianæq. pietati consuluisse, partaq. a
 maioribus non imprudenter regna conseruauisse, huiusq. præstantis-
 simam filiam Beatricem Hispaniæ regi Ioanni nupsisse. Decessit ex
 corpore Capellicastri anno 1383. Quid tibi sanctimoniam, bellicaque
 gloria ubique terrarum memorabilem Ioannem Petri Ioannes. 10. Lus.
rex huius nomi-
nis 1.
 regis filium, decimum regem felicis recordationis, hu-
 iusq. nominis primum in medium adducam? Qui anno
 1385 Hiberiæ regem Ioannem Lusitaniæ imperare volentem, eius-
 demq. totum equestrem ac pedestrem exercitum superauit atq. fuga-
 uit, durumq. patria expulit iugum. Sirtam à Mauris prælio cepit, an-
 nisq. 50 regnauit. Quid tibi Duardum eius filium regem vndecimū
 generosa pulchraq. prole mirabilem enarrem? Quid
 bellipotentem Alphonsum duodecimum regem? qui Duardus. 11. Lus
rex huius nomi-
nis primus.
 sexennis defuncto patre regnum accepit, ac post mul-
 ta præclara facinora Alcacere oppido profligatis Sa- Alphonsus. 12.
Lus. rex huius
nominis 5.
 racenis recepto, Arcillam Tingitaniamq. maritimas

vrbes in Libya auxiliãte Deo max. expugnauit anno
 462. Quid decimum tertium regem Ioannem accer
 rimum iniuriarum vltorem? patriæ libertatisq; affer-
 torem tibi prædicem? Quid de præstantissimo celebra
 tissimoq; rege Emanuele auo charissimo tuo, quo non
 fortunatior nec alius iustior sceptrã gessit in vltima
 Hesperia (vt supradictorũ Lusitaniæ Monarcharũ cõplura memorã
 daq; gesta prætermittam) nunc referam? Hac enim parte ingenium
 mentemq; omnino, vt ingenue fatear, mihi deesse video. Ille quidem di
 uina quadam prouidentia in imperium animosissimo rege Ioanne de
 functo successit. Christianam remp. egregie instaurauit, pietatem an
 xie coluit, veneranda templa, diuinosaque cultus auxit accurateque
 decorauit, omnia deniq; meliora fecit. Iudeos in Regno adhuc illa tẽ
 pestate commorantes ad sacrosanctam religionem verumq; Dei cul
 tum cœlesti quadam inspiratione afflatus, Christiana q; pietate mo
 tus (publicis eorum destructis Synagogis) quanta potuit vigilantia euo
 cavit ac traduxit. Eodemq; tempore Sarracenos Maumethicãque
 perfidiam ex tota prouincia expulit, atq; penitus extirpauit Azamor
 ac Zapphi vltimas vrbes in Africã ducente Christo bellan
 do cepit. Omnium primus nauibus, armatisque militibus maria sul
 cavit, terribilesque ponti belluas, terrarumque immanes feras ac
 portenta non timuit. Ad Orientalem vsq; Indiam sub ardentissimo So
 le nauigauit. Alios mundos, alias stellas, alios deniq; populos inuenit.
 Præsbyteriq; Ioãnis regna, incognitosque portus duce virtute comiteq;
 fortuna inuenit. Ex clarissima regina Maria iustissimum regem Ioã
 nem Christianæ religionis, iustitiæque vigilantissimum cultorem,
 qui post patrem prospere regnauit, suscepit. Isabellãq; augustã
 imperã

Ioannes. 13. Lus.
 rex huius nomi
 nis. 2.

Emanuel 24 Lu.
 rex huius nomi
 nis. 1.

Brachylogia. ¶

*Augustam Imperatricem, quae Carolo Caesari nupta Christianissimū
 Hispaniae regem Philippum genuit. Principemq; Beatricem Sabū-
 diae ducis uxorem, animosum Principem Lodouicum atq; Fernandū,
 Alphonsum Cardinalem Olyssipponensem Archiepiscopū. Pruden-
 tissimumq; Cardinalem Henricum Olyssipponensem etiam Archie-
 piscopum, qui felicissimi regis Sebastiani regna sanctissimis legibus
 et institutis moderatur. Grauisimū ac perinde serenissimum Prin-
 cipem Eduardum charissimum genitorem tuum benigno natum sub
 Horoscopo. Qui modestissimo vultu quiddā regali maiestate dignū
 praeserebat. Cuius immortales laudes, atq; rarissimas dotes, Heroicam
 virtutem, pietatem, iustitiam, clementiam, prudentiam, humanitatē,
 constantiam, sanctimoniam fidem, in Superos religiosam observatio-
 nem, reliquaq; corporis atque animi bona recensere Epistolaris non pā-
 titur lex. Aliud enim est scribere Epistolā, aliud Historiam. Ille ille
 inquam te placidissimum, humanissimum, beneficentissimum felicis-
 simūq; Principem genuit. Te generosissima Princeps Isabella mater,
 magni praclarig; Bracchantiae Ducis filia optimis peperit auspicijs, si-
 nu gestauit atq; nutriuit. Salue igitur omnium quos terra sustinet
 placidissime, ac serenissime princeps, Salue regia proles, cuius tot in-
 sigaes extant tituli, tot immortalia monumenta, nulla temporis iniu-
 ria unquam interitura. Tuum regalem splendorem animiq; fulgen-
 tissimum candorem, incorruptissimos mores, ac celsitudinis praestan-
 tiam quamuis tenebris immersum aperte videt mortaliū genus. Tu
 in summo rerum fastigio collocatus Hesperiam totam illustras, te co-
 lentes similes tui, hoc est immortales ac toti orbi admirabiles omne
 reuū reddis. Omnium animos oculos, et amorem in te cōuertis.
 Et omnia prospere, praesidio Christo pro votis succedunt. Te sublimi-
 tatemq;*

tatemq; tuam externi etiam Reges, atq; Principes nouere, laudant, mirantur atq; amant. Hac tua celebri fama compulsus admonitusque Inuictissimi Caroli Caesaris non aspernandus, nec pœnitendus nepos Maximus ille Parmæ Princeps præstantissimam, honestissimamq; Heroidem Mariam dilectissimã sororem tuã armata classe per Oceanum aduectam (ut clarissimam Principem Catherinam sororem alteram Christianissimo nobilissimog; viro Ioanni Braccantiæ duci paulo ante nuptam præteream) in legitimam vxorem duxit, ut tuæ celsitudini non solum consanguinitate, sed etiam concordie affinitate, firmioreq; necessitudinis vinculo coniunctus esset. Salue iterũ atq; iterum omnium ducum lucidissime Sol. Salue vnica te religiose colentis patrie spes. Quem ad maiorem statum, thronum & honorem immensi orbis supremus Fabricator Angelorum custodia tutatur, meritoque viuere dignatur. Tu Principum rarissime Phoenix tuorum maiorũ perenne decus ac gloriam, omniumq; triumphorum festa pace palmã ac coronam proprio Marte adeptus es quidem. Atque inter plurimas virtutes gratior & admirabilior regali animo ingenita misericordia est. Nihil habet Fortuna tua manus quã ut plurimũ possis, nec benigna Natura tua melius quã ut quamplurimos iuuare conseruareq; velis. Quis tan cæcus, qui hoc non videat? Quis tam impudens, ut neget? Quis tam stolidus, ut non sentiat? Quis deniq; tam Barbarus, qui non laudet? Ad hæc felicissimus Sebastianus, Sebastianus i. 6. qui nunc sceptrâ gerit, diuinãque providentia in generosissima matris utero Rex creatus, in gloriosissimi Martiris SEBASTIANI (cuius ei nomen inditum est) festo, sollicitæ patrie, populoque externarum gentium victori natus datusque fuit,

Sebastianus i. 6.
Lusitania rex huius nominis primus. Qui nunc prospere feliciter regnat, regale sceptrũ optimis gentis auspicijs.

Brachylogia.

vnice impenseq; diligit. Cuius Horoscopo qualis quātusq; futurus sit, non dubijs præmonstratum est argumentis. Quam bonis auibus, omniumque inenarrabili gaudio in lucem venit. Tibi sua credit arcana, cæterisque omnibus egregie præponit. Hoc regnum animi, hoc regnū inquam inter omnia imperia maximum est, hoc per omne durat tēpus. Hoc beatæ præmiū vitæ, verus hic triumphus. Hæc laus nulli obnoxia ruinae subiacet. Hæc certa generoso, regaliq; pectori gloria. Næ mens humana potentia pollet, sublimia petit, diuina est, maiore se præter Deum neminem nouit. I faustissimo felicissimoque pede, Superis secundis fauentibusq; quo tua te inchyta vocat virtus. Nostris interea occupationibus rudique bar di hominis ingenio consule. Qui de te humanissimo beneficentissimoque Principe, deque tuis egregijs constantissimi animi bonis, inte vnum diuinitus a prouida rerum parente Natura collatis, paucissima dixerim. Quis enim mortalium tot meritis dignas persoluet grates? quibus ve potissimum donis istum regium animum tuum salutabo: auro ne? an blandissimis gemmis? Minime quidem, nam tu vera solitaque virtute delectatus, hæc veluti ca duca interituraque flocipendis, necnon auersaris salua tua dignitate. Idq; duntaxat vltro, quod pulchrum quod honestum quodque æternum, est dulcissimo complecteris ardore. In qua quidem re non solum alios omnes Principes, sed etiam te ipsum pene super asti. Cō plures profecto non mediocriter eruditos, quos equidem nouerim, vt interim de me ipso sileam, ab scribendo deterruit, longeque submouit tua magnitudo. Tātus Catonianæ frōtis, omniūq; virtutū fulgor inest. Nihilominus tamen te pro tua mansuetissima placidissimaque clemētia & humanitate precor, vt me tibi deditissimum deuotissimumque vatem, quamuis penitus indignum, qui tua Heroica decantem facta, dum

*dum tuæ sublimitati meliora quæro, tuorum adscribas numero, atq;
 simul hæc de laboribus Herculeis tibi, venerabiliq; tuo nomini dica-
 ta carmina sereno vultu legas, atque prout hæctenus
 feceris, ama. Compostellæ.
 Vale plurimum.*

A R G V M E N T V M.

A Nimosum Herculem Iouis, Alemenescq; filium su-
 pra modum nobilitavit implacabile Iunonis odiū.
 Quæ quòd ex pellice natus esset, illum omnibus modis
 perdere cupiens, semper nouis monstris periculisq; obie-
 cit, quæ res spectationem eius maximè fefellit. Ille qui-
 dem viribus animoq; præstans victoriam referens, im-
 mortale sibi decus peperit, adeo vt illa prius iubèdo, quã
 hic laborando defatigaretur. Cuius Herois laborū quan-
 do nusquam nõ apud authores occurrit mentio, visum
 est celebriores aliquot Heroicis subijcere carminibus,
 quibus dūtaxat quasi per signa, vnunquenq; laborē ostē-
 do, vt optimus Princeps etiã publico bono, grauioribusq;
 studijs occupatus libenter aliquando legat. Illud tamen
 omittendum non est, sub fabulosis poeticisq; figmentis
 vtriusque Philosophiæ aliquando non deesse præcepta,
 vtilemque ad mores interpretationem inesse, nonnulla
 tamen simpliciter legenda sunt,
 de quibus inferius.

Brachylogia.

AD ILLUSTRISSIMUM PRINCIPEM
Eduardum serenissimi Principis Eduardi filium, inuictis-
simiq; Regis Emanuelis nepotem Cadabalis
Grauij Calydonij de quibusdam Herculis
Laboribus breuissima
relatio.

PROPOSITIO.

Herculis arma graues casus, variosq; labores
Terrificos pugnas, intractaq; Mœnia Ditis, *alias temera-*
Horrificos motus, superataq; monstra, ferasq; *ta.*
Terrarum pestes, pulsamq; tyrannida mundo.

Insignes vrbes, opulentaq; regna subata
Mortifera claua, flammis, agiliq; palastra,
Romphæa, crudo castu, leuibusq; sagittis.
Extremumq; viri finem, & lethale venenum
Hydrae, iactatumq; procul per nubila Lycham
In mare, dum fugiens veniam miserabilis orat.

Teque Duarde genus magnorū a sanguine Regū
Lysiadium, egregias dotes laudesque parentum,
Quos leuat altus honor canimus, thalamosq; sororū.

Ergo sacra meis audacibus annue cœptis
Calliope, doctum resonent præcordia Phœbum,
Qui mihi cum Musis præsens Helycone relicto
Ad sit, & inspiret mentemque animumque benigne.

Tuq; simul Grauiio vati celeberrime Princeps,
(Quem

Inuocatio.

(Quem mare, quem tellus Septem subiecta Trioni,
 Austrinoq; polo, & quacunq; Hyperione natus
 Lucem diffundit, tenebrasq; repellit ab alto
 Æthere concelebrat, laudat veneratur, & ipsi
 Fulgida cantantes tollunt super astra Poeta)
 Affer opem tandem, atque oblatam per lege partem
 Quæso, namque breuis tota hæc tibi pagina seruit.

Hip.natus.i.Sol

Part. f. tuarum
amplissimaum
laudum, quæ plu
rimæ sunt.

Pellicis ardescens odijs, rabieq; coacta
 Serpentes geminos misit Saturnia luno.
 Guttura collisit vibrantibus vndique linguis
 Vix capiente manu fauces fortissimus infans,
 Reiecitque procul gestu, vultuque virili,
 Quum puer in curiis cum Iphiclo fratre iaceret.
 Obstupuit mater latebrasq; per atria quaerit
 Attonita, & famuli pariter fugere per ædes.

Narratio.

Germanas vna iuuenili robore præstans
 Nocte graues omnes fecit, zonasque recinxit,
 Quæ quinquaginta gnatos peperere parenti,
 Thespiadas claro dictos de nomine Regis.

Iuuenili, idest iu
u. niles vires ha
bens, quum ad
huc iuuenis exi
steret.

Æripidem ceruam rapido per Manala cursu
 Comprændit profugam velox, atque aurea torua
 Cornua fronte tulit victor. Cretæque timorem
 Terribilem taurum populos & rura furore
 Inmisso penitus vastantem dilacerauit,
 Attulit hunc postquã ad violentũ Eurysthea rapim.

Atque Cleonarum non longe a mœnibus altis
 Perdomuit Nemea vastum sub rupe Leonem,
 Imposuitque

Brachylogia.

Imposuitque suis humeris gestamina pellem.

Infernasque domos, Manes, & Tartara nigra,
Ultrices Furias, Phlegetonta Stygemq; profundam,
Cocytum atq; Acheronta, grauem cum coniuge Dite
Tygridis exuuias cinctus contempsit, & Orco
Thesea dissoluit, secumq; reduxit ad auras
Luminis aetherei, proiecto in stagna Charonte.

Populeisq; redit cinctus sua tempora ramis
Vindex, Egide Graias comitante per vrbes.
Perithoumque simul supera ad conuexa tulisset
Secum, ni Pluto tristi occultasset Abyssso.

Cerberon in lucem pendentem guttura terna,
Triplice raptauit sinuosa per antra catena.

Tergeminumq; ferox Balearica regna regentem
Geryonem vicit, rapuitq; armenta. Deinde
Igniuomam flammis gladiog; micante premendo
Hydram percussit, mortemq; subire coegit.

Alias succre-
scabant.

Cui gemmabantur capita atq; horrentia colla,
Oraq; pertenues mittentia sibila ventos.

Post Erymanthæum validis pro viribus aprum
Per medias valles, ac pinguia rura vagantem
Claua prostrauit, furiataque tempora fregit.

Lataque terrigenæ procul a tellure leuati
Ilia prærupit, fuluag; extendit arena
Exanimum, Libycus colitur qua corniger Hammō,
Matre gemente nimis miserandi ob funera nati.
Cui Neptunus erat genitor, qui sceptrâ profundi

Cepit,

Cepit, & imperium tumidis exercet in vndis.

Antæum gigantem libicum Neptuni ex terra filium magno procerosq; corpore significat, quippe qui in quadraginta cubitos excreuerit. Hic cum Hercule cōgressus, quoties membra labore defecta essent, terræ tactu recreabatur. Qua re animaduersa Hercules alte sublatum terræ tactu prohibuit, pectorisq; suo artius adfrictum enecuit.

*Deiecitq; solo volucres Stymphalidas idem,
Atq; omnes audax ferro volitante peremit.*

*Sunt & qui dicant longe præcul inde fugasse
Insulam ad extremam tinnitibus æris abactas.*

*Insuper Hippolyten spoliauit Amazona victor
Balthæa, & Ægidæ socio concessit habendam.*

*Panaq; nudauit, nudatum melle perunxit
Coniugis adiunctæ thalamum violare parantem
Noturnis tenebris, veteres sunt vnde Luperci.*

*Threicij quondam duri ad præsepia Regis
Sanguinolenta venit magni Iouis inçlyta proles,
Carniuorisq; suis Dominum proiecit edendum
Voti compos equis, pariterq; necauit eosdem.*

Truculentum Thraciæ Regem Diomedem significat, qui dum humanis carnibus aleret equos in oppido Tirintha ipsis ad deuorandum ab Hercule obiectus est.

*Mox ter mille boum stabulum purgauit, & vndis
Abluit, Augia saxis quoq; Rege perempto.*

*Apperuitq; viam ponto, qua littora Calpes
Ex Abyla secuit, positis vtring; columnis.*

*Sustinuitq; polos ceruice, humerog; cadentes
Syderaq; erexit cum Atlante. Specuq; profundo
Semiuirum manibus Cacum feritate timendum
Vulcani sobolem, fumum flammag; vomentem*

B Naribus

.i. accepit in regionum partitione, nam Iupiter cœlum, ærem Iuno, infernum Pluto, mare Neptunus accepit. Insulam Aretiam.

alias indigne.

Brachylogiæ

Naribus atque ore exanimat, plantaque retraxit

Inde foras, cunctisque ostendit inutile monstrum.

Ipsemet Hylæū, atq; Pholum non territus vnquã

Nubigenasque alios immania terga gigantes

Rege sub Eurystheo domuit, seuumque Typhoea

Armatum repulit, nimium Iunone dolente.

Pugnando contra Regem Busirida pressit,

Tristiaque incendit crudelis tecta Tyranni.

In varias formas Acheloum adiutus amore

Mutatam superat, cornuque ex fronte reuulsi

Deianira petens genus a Parthaone clarum

Te, aspiciente ferum charo genitore duellum.

Extremam Ausoniae pro cædibus, atque rapinis

Partem infestantem condigna morte lacinum

Subtulit, & magnæ Iunoni templa dicauit.

Hesperidum fructus celebrem tribuere triumphū,

Quam hortos intrauit solus, domuitque draconem.

Hesperides in Aphrica fuere Hesperii fratris Atlantis filia, tres numero Ægle, Aretusa, & Spherusa, quas Poetæ aurifero nemore pretiosos hortos habuisse dicunt, ubi erat perugil dra custos, aurea mala vigilanter obseruans, quem Hercules interfecit, Chrisomeiaque ad vitricum Euristeam detulit.

Subuertitq; Pylon, Neleum, stirpemq; domumq;

Nestore duntaxat uiuo, incolumique relicto,

Qui bello Troiano interfuit, & sine labe

Mortales interprudens tria secula vixit.

Iunonisque Deæ Regi auxiliare ferentis

Præsidium iaculo percussit membra trifulco.

Centaurusque

Inde ex eadem spelunca, vbi ab Hercule itrangulatus fuerat.

Busiris Rex fuit Ægypti hospiti immolator.

*Centaurosque feros commixtaq; corpora monstros
Perdidit, & Nessi penetrauit viscera telo*

*Ille quidem patrios repetens cum coniuge muros,
Venerat Eueni rapidas properanter aduudas.*

*Vorticibus feruens, nimbisque hyemalibus auctus
Annis erat, nusquam lembus, non nauta, nec vllum
Lignum, quo possit quisquam transire frementes
Fluctus incolumis. Tantus rapit impetus ipsum.*

*Euenus Ætolia
flu. iuxta oppi-
dum Calidonē.
Socia. i. Deianira
confortetori.*

*Quid faceret secum dubius reuolutat, & hæret
Sollicitus mentem socia pro virgine, tandem
Omnia tentanti, atque oculos per cuncta ferenti
Nessus adest, validus membris, scitusque vadorum,
Horrida cui feritas vultu, cui forma biformis.*

*Virgo. i. eætate,
qua poterat ad-
huc esse virgo.*

*Mox ait Alcide facile Calydonida sislam
Vltiore solo, tu vince fluentia natando.*

*Dixit at, & ripam quum primum accessit, equino
In nemus vmbrosum fugit per deuia cursu,
Depositumq; rapit trux, vinq; inferre parantis
Traiicit Aonius fugientia terga, latusque.*

*Concidit infelix transfixus pectora seuo
Vulnere prolabens madidis resupinus in herbis.*

*Albio tentauit cæpto depellere cursu,
Non procul a Rhodani ripis, vndaque fluente
Amphitryoniadem, fratri quoque Bergio sumptis
Armis præsto fuit, pugnatum est, ille parentis
Sensit opem, denso lapidum imbri pluyente, trucidat
Solutrumque virum gelidis spoliator in aruis,*

*Paren. scilicet
Iouis.*

Brachylogia.

Sanguineam Bellona manum tollebat & arma
Pugnantis, validas vires animosq; fouendo.

Vtrunque. Al-
bionem ac Ber-
gionem hostes.

Quo magis illa fauet, tanto magis arma cruore
Tincta rubent, atri qui in morem fluminis ibat.

Amborumq; acies vastauit, & agmina fudit:
Adque iter inceptum redijt. Mox Marte Pyrechmū
Euboia Regem stragem bellumque cientem
Dircaeis captiuat, equisque ligauit, & ipsum
Concerptum latos pulli sparsere per agros.

Caso pincerna soceri crudeliter Oenei,
Atque vr gente fame, longe Calydone relicta,
Fugit in Epirum, puero esuriente poposcit
Deianira cibum, durus Rex ipse negauit.

Pue. f. Hylo Her-
culus atque De-
ianira filio qui
post patris inte-
ritum Iolen du-
xit vxorem.

Alcides rabie motus, non impiger vnum
Rure bouem rapuit, coxit pariterque vorauit.

Dux bello clarus, Dryopum qui regna regebat,
Perdere tentauit iunctis popularibus, atque
Anceps inter vtrunque fuit victoria, rursum
Impetus atque furor, cum ira discordia Martis
Armati comites incendunt pectora, tandem
Filius Alcmenae solita virtute resurgens
Ag greditur pugnam, Regemque obtruncat in armis.
Et miseros artus lacerat, praecordia & ora,
Ante oculos gnati mirantis praelia, secum
Postea quem ex illo deducens semper habebat,
Atque hab turus erat ni Mysia seua tulisset.
Pertulit Ionios fluctus, tristesque procellas

Rex Theoda-
mas Hila pater
Driopes Epiro-
tici populi.
Martis irati co-
mites sunt, scili-
cet, impetus, fu-
ror, ira, discor-
dia.

Gnati. f. Hila
Theodamatis re-
gis filij quem
Hercules ama-
nit.

Argo cum Mmyis Ægæa per æquora vectus,
 Colchida quum peteret, Phryxæaque vellera Iason
 Palladis admonitu, Peliaque iubente per altum
 Suspectum ire virum ex patria, quum viribus omnis
 Deficeret ponto penitus delecta iuuentus,
 Emonis & pluuio nauis iam cederet Austro.

Arripuit contum, Talaum, validumq; Eribatem
 Et longe tantæ securum Amphiona molis
 Obruit, inque tuo posuit caput Iphite transstro,
 Eripuitque viros letho, lignumque refregit.

Tristificosque dedit cordi quoque Mysia luctus :
 Ad terram Borea pellente ratemque, virosque
 Profilit, arrepta suppleret vt ar bore fractum
 Remigium nuper, celerem dum dirigit Argo
 Propullam retro circum volitantibus Euris.

Hilæ miserando
 fato nihil in vi-
 ta dolentius, nec
 quod magis cor
 pus animumq;
 defatigaret, tu-
 lit Hercules.

Solus Hylas Dominum propere comitatur euntem
 A tergo, patrio succictus more decenter,
 Armaque fert, ibant interse multa loquentes
 Per uirides syluas, resonantiaque antra cicadis,
 Insignemque vident pascentem colle supino
 Ceruum, cuius erat caput altis cornibus horrens.

Protinus ipse puer frondosa per auia crebris
 Insequitur telis, vrgetque premitque superne.

Deceptum Dryope inssu Iunonis inique
 Pertrahit ad fontes, liquidisque occultat in undis.

Hilas fallitur a
 Nympha Driope

Quæ postquam aspexit nusquã Saturnius Heres,
 Clamitat, vmbriferis rigidas ex arcibus ornos

Brachylogia.

Torquet, & horrendo lapides stridore reuoluit, ali. volutat.
Atque furens animis huc se referebat & illuc,
Dentibus infrendens, totum ter feruidus ipse
Montem lustrauit, ter fessus rupe resedit
Vociferans, moestoque implorat numina questu.

Inde per horrentes furioso turbine dumos
It praeceps, rediens iterum in spelaea draconum
Non sine clade tamen felle incendente, pilosas
Nates, mox armos, setosaeque pectora nudat
Horrendaque fremens superabat Stentora voce
Nocte dieque, procul colles vallesque resultat,
Extremosque sonos referebant concaua saxa
Circum, sub cuius rigido pede pulsa gemebat
Tellus, non aliter densa inter nubilia fulmen
Emicat, iratus celsa quum Iuppiter aula
Vibrat, & Enceladum Sicula confundit in Aetna.

Ascaniumque natat, manibus digitisque retentat
Abdita subter aquis, cautes vltimasque repellit,
Dardanias simili studio deuoluerat vndas.

Vicinosque lacus, fontes & stagna, paludes
Impiger ingreditur, rimando cuncta, deinde
Frondiveras alnos, salices, carectaque vellit.

Sed miserum toto postquam non gurgitis imo
Repperit, exclamat caelestia sidera testor
Infernos Manes, Lemures, Erebumque Chaosque,
Flumina sacra simul medijs labentia terris,
Oceanumque patrem, nil me fugisse laborum
Charo pro puero, quo non praestantior vllus

Herculis pro-
pter intolerabi-
lem dolore bre-
uis exclamatio.

Extiterat, dixit, pressoque obmutuit ore.

Atq; velut profugi, quem perculit improba Mauri
Lancea sanguineus vasto Leo murmure vadit,
Frangit & absentem vacuis sub dentibus hostem, comparatio.

Sic furij incensa gerens Tirynthius ora
Fertur, & intento discurrit colibus arcu,
Occis perlustra viris, pastoribus, vna
Settigeris apris, fuluisque leonibus, vrsis,
Montanisq; Lupis, tandem volat ordine nullo
Cuncta petens, nunc ad ripas deiecta que montis
Fragmina, nunc notas nemorum descendit ad umbras
Frustra. Paruus Hylas nusquam reperitur, amor
Cuius inhaerendo, Lachrymis made factus in æquor,
Iam reuocante Noto, Heroas, nauesque reuifit.

Illum inter Procere, mens æq; silentia mentis
Quærit inops niuea nuper sublata trabentem
Vina manu, & seuæ narrantem bella Nouerca. Nouerca. f. Iunonis.

Permansit que gemens deserto in littore nautis
Aduectis, portuque recedere non tulit vnquam.

Inque solo recubat, posita ceruice pbaretræ
Secum multa querens, agitataque corpora velat ali. lassata.
Fronibus & spolio, miserumque insomnia fallunt.

Deceptasque manus prætendit clauiger vltro
Per somnum clamans, refugaque illuditur umbra.

Non hyemes illum, nec flabra, niuesq; rigent.
Aspera tentantem per longa cacumina terrent,
Permanet immotus, scopulosque reuifit eosdem,

Quos

Brachylogia.

Quos modo calcarat pedibus, manibusq; recuruis
Sparserat, incertusq; dolet, miser eque vagatur.

Nulla subit Cereris, dulcis nec cura Lyæi
In mentem, erranti atq; aciem percuncta ferenti.

Mortem optat, tædetq; polum Solemque tueri,
Lucem odit, magnoque dolorum fluctuat æstu.

Incusatq; Deos, fontes, Nymphasq; locorum
Detestabatur, mittitq; per aera tela

Tincta venenoso serpentis sanguine Lerna,

Occiditq; græves, aquilas gryphasq; volantes,
Inque patrem sæuit, matrem auersatur & Argô,

Ipsa quod expatria incrudeles vexerit oras,

Æmonium Tiphyn, socios & Iasona, tandem

Omnia Gorgoneis oculis vultuq; minace

Perscrutatur, Hylamq; suum reuocabat vbique

Infelix animi, turbatus torpet & horret.

Nunc teretes truncos, prædurâq; robora frangit,

Et valido vertit lapides conamine, pictam

Nunc Pharetram ex humeris iactat, tegimēq; leonis

Longe, discruciant rabiosa silentia pectus.

Præterea diro Neptunia per gama bello

Cepit, Dar daniâsq; arces penetravit, & harpe

Laomedonta senem media iugulauit in vrbe,

Tradidit & Priamo regnum, cetoq; marino

Extincto; Hæstien Telamoni reddit amico.

Bellator. æ potens, Admeto rege precante

Persephen æcerum necnon Plutona tenentem

Ali. vexerat.

Go. terribilibus.
vnde prouer-
bium, Gorgo-
n-is oculis ac
Martis irati tue-
ri.

Ali. spoliūq;.

Alias intrauit

Infima regna petit, Lemures, Briarea, Chimæram,
Sulphureos latices, tormenta, lupoſq; caneſq;
Dæmonas, ac tristes vlulantia monſtra per vmbraſ,
Gorgonas, Arpyias, lethumq; haud horruit vſquam,
Alceſtiſque animam ſuper aſ deduxit ad oraſ.

Inferuique Deum crudelia tela pauentem
Vulnerat, & Manes medias perterritat vmbraſ.

Ac Co direpta ſolito certamine Regem

Eurypylum & genitos chara cum matre necauit.

Martigenam Cygnum vita priuauit equeſtri

Pugna, Proque viro poſt fatum vidit olorem

Candentem, nubes radiantiaque aſtra petentem.

Thebarumq; Lycum Regem vim inferre volentē

Dilectæ vxori piceo Phlegetonte reuerſuſ

Fudit humi. Atq; aquilam pendentis caute Promethei

Viſcera rodentem calamo confodit acuto.

Pygmæamque manum iactatam pelle leonis

Inſublime fugat, per longa Melampyguſ arua

Iure, quod vmbroſa deſeſſo in valle iacenti

Ad gelidum fontem crudelia fata parabat.

Auſuſ Eryx quondam auro concurrere cæſtu

Impiger Alcida, contra Tirynthiuſ ipſe

Septem terga bouum indutus de more priorum

Conſtitit armatus, robuſtaque brachia cælo

Extulit, & primum diuerberat ic̄tibuſ aur aſ,

Aduolat inque virum, cæſtu velatus vtrinque

Nec reuocare gradum patitur, turbatq; premitq;

Tirynthiuſ Her-
cules a Tirinthe
oppido haud lō-
ge a Micanis ſic
appellatuſ.

Brachylogia

Desuper, aduerso resonat de vulnere vertex.

Postremum plumbo rupit caput, atque cerebrum,

Rorantesque solo disper sit sanguine cristas:

Cuius in aeternum seruat per secula nomen

Mons Siculis oris, matricque dicatur *Amorum*.

Ultra hæc promissas tædas Iolemque negantem

Euryton obruncat, totam subuertit & urbem

Oechaliam, charæque reuertit in agros

Protinus Eubææ, raptaque potitur amica.

Ipsa Iouis coniux penitus defessa iubendo

Extiter at, terra post tot prodigia victa,

Alcides vero nunquam defessus agendo.

Fama loquax rerum citius recitauit ad aures

Deianira tuas aliam nupsisse marito.

Verg. Fama ma-
lum quo non ve
locius vltum.

Quod quum intelligeres per Lychæ sanguine tinctâ

Nessi præmittis (sexu atque furore iubente)

Vestem, quæ nuper Lernæo infecta veneno

Adseruabatur, monstro suadente biformi

Zelotypæ, Liquidas anima fugiente per auras.

Magnus Alexicacos post tot tantosque labores

Oetam conscendit, pyramque extruxit & aram

Vertice sublimi, facturus sacra parenti

Cenæo supplex, pro tot tantisque trophæis.

Purpuream chlamydem, solito de more poposcit,

Quam vix induerit, totum quum ardescere corpus

Lethifero cæteris Philtro serpentis Echidnæ.

Combustique sonant nerui, iecur, ossa, medulle,

Viscera

Viscera, Labra, genæ, succreuit & ira dolorque.

Arripuit Lycham, raptum per inania iactat
In pelagus longe miserum, mirabile dictu,
Fit lapis, apparet nostro quoque tempore subter
Vndas, quem pedibus nautæ calcare verentur.

Moxq; Philoteetæ pharetram, Lyciasq; sagittas
Balthæa, nodosam clauam, spoliūque Leonis
Tradidit, & mæstos tollens ad sidera vultus.

Cladibus exclamat Saturnia pascere nostris,
Pascere, & hanc pestem spectata crudelis ab alto.
Corque ferum satia, vel si miserandus & hosti,
Hostis enim tibi sum, diris cruciatibus ægram
Inuisamque animam, natamque laboribus aufer.
Mors mihi munus erit, decet hæc dare dona nouercæ
Dixit, & ardentes sese iaculatur in ignes.

Ex Getico vate
decenter sum-
pta.

Hæc sunt monstrorum domitor quæ fecit in orbe
Filius ille Iouis, peperit quem Alcmena, superbus,
Hic vitæ finis, magnorum & meta laborum.

Multa tamen restant præcellentissime Princeps
Gesta viri tanti, rerum quæ pondere pressus
Scribere non valeo, magna peregrinus in vrbe,
Omnia cui desunt, miserum faciente timore
Ac spe, quos inter mortales sollicitamur.

Mortalium vi-
ta inter spem,
metūq; posita.

Brachylogia.

AD CLARISSIMUM PRUDENTISSI-
mumque Principem Eduardum, in Herculis laborum
summariam interpretationem & similitudinem,
eiusdemq; Principis, maiorum ac parentis
gloriam & honorem, Cadabalis Gra-
uij Calydonij carmen
Distrophon.

Herculis inuicti notissima gesta, triumphos
Perstrinxi paucis, magne Duarde tibi. Paucis, s. carmi-
nibus.

Vt quæ alij carptim varijs tetigere libellis,

Carmine sit facile cuncta notare breui.

Ille Iouis magni proles generosa ferendo

Inmanes vicit, perdomuitque feras.

Monstraq; pugnando, cetum, seuosq; Tyrannos

Sustulit ex medio, vindice Marte potens.

Infernos Manes, Lemures, Plutonaque nigrum

Terruit, Alcestim Theseaque inde tulit.

Postque tot insignes actus, fera bella, labores,

Flammigeras supra creditur ipse domos.

Quid fortes igitur censes nisi pectore castos?

Viribus inuictos, & pietate graues?

Quid superasse putas tot vbique immania monstra?

Nil princeps al' ad, quam vitium fugere.

Quid nigrum D. tem, Lemures, Manesq; profundos

Vidisse Alcidem, & non potuisse capi?

Quam

Quam claros homines scelerum contagia semper
Spernere, vertentes mentem, animumq; Deo.

Quid cælum tandem post mortem scandere? nempe
Fortibus atque pijs præmia digna dari.

Talis auus Manuel, talis fuit ille Ioannes
Tertius, & primus, quique secundus erat.

Tales Germani fortissima pectora nuper,
Talis & Henricus, qui modo sceptræ gerit.

Ille tuus genitor talis celebratur vbique
Quem tenet æterni Regia clara Patris.

Quem mors ante diem sinon properata tulisset,
Viventium Heroum maximus ille foret.

Marcellis, fabijs generosior, atque Metellis,
Hercule, Scipiadis, Fabricioque fuit.

Sed quanquam talis, qualem vix protulit ætas
Aurea, cœlesti dignior ille throno.

Humanas contempsit opes meliora secutus,
Nunc superis fruitur, perpetuisque bonis.

Ille per Empyreum, & cœlestia regna vagatur,
Atque Beatorum gaudet adesse choris.

Talis & Alphonsus primus Rex extitit olim
Armipotens, eius denique tale genus.

Talis adhuc viuit mater celebrata per orbem
Bracchantinorum lausque decusque Ducum.

Talis & ipsa soror Princeps formosa Maria
Quæ thalamo Parmæ Principis vxor adest.

Liquerat antiquos patriæ celeberrima Nympha

Serenissimi prin-
cipis Eduardi de
bita laus.

Brachylogiæ

Portus, perque salum debita regna petit.

Antistes Angra ipsam classe, Comesque Maphelti

Ducunt per vastum, Rege iubente fretum.

Rege. s. Sebastia-
no.

Profecta est classis, qua serenissima Princeps Maria illustrissimi viri Alexandri Farnesij Parmæ, Placentiæque Principis vxor Olyssippone Idibus Sept. 4. Nonas Nouemb. in Flandriam peruenit anno Domini. 1565. Ingressa est Bruxellam in festo Diui Martini, vbi celebratæ fuerunt nuptiæ.

Dum petit, æquoreas Neptunus protinus vndas,

Æolus & ventos temperat ipse suos.

Postquam dilectos fines ac regna suorum

Deseruit Lachrymans, per mare vecta rate.

Aspicit in tonsos nimboſa cacumina montes

Littoris anfractus, ardua saxa, niues.

Miraturque nouum cælum Arctophylaca, Triones

Pigraque vicino sydæra fixa polo.

Protea subter aquis, viridemque Palemona, canum

Nerea cum Glaucæ, Dorida, Leucotheam.

Quumque ex conspectu scopulosa Britannia longe ali. populosa.

Sese ostentaret, luxque, diesque foret.

Ecce maris veniunt Nymphæ & Nereides una,

Impelluntque rates cæruleis manibus.

Carbasa tenso toto facile, nauesque sequuntur

Pontinas, gas nando, quas vehit vnda fluens.

Quarum

Quarum concentu dulcis veniebat ad aures
 Harmonia, & mota flebile murmur aquae.
 Letatur Princeps rerum nouitate, tuendo
 Longicomas circum per freta longa Deas.
 Inter quas Triton modo per sonat aequora concha,
 Et modo dulcisona carmina voce canit.
 Tunc subit in mentem mater, fraterq;, sororque
 Vita solamen, numina chara sibi.
 Mox desiderio patriæ lachrymare parumper
 Quum inciperet Nymphæ, fluctibus in medijs.
 Emanuel flentem solatur Episcopus Angra,
 Ac lenit curas, tristitiaque leuat.
 Pelle tuis lachrymas oculis venerabilis infit
 Princeps, egregij Principis vxor eris.
 Coniugio felix turba comitata nepotum
 Vixeris, omnipotens ad meliora vocat.
 Dixerat, illa sedens regalia lumina mappa
 Tersit, marmoreas naue secante vias.

ali. classe.

C 4

Commiffa

Brachylogia.

Commiffa fuit clariffima Princeps Maria a Rege Sebaftiano, Reginaque Catharina doctiffimo viro Emanuelli de Almada Angræ vigilantiffimo Epifcopo, Metropolitana Olyffipponenfis Ecclefiæ Cantori, vtriusque iuris doctori, sacræque Theologiæ ftudioffiffimo, vt eam ad illuftriffimum virum Alexandrum Farnesium, Placentiæ, Parmæque Principem perduceret.

*Eripuitque Deus magnis fœuisque periclis,
Scilicet ex vndis, ignibus atque vadis.*

Tribus noctibus, totidemque diebus nauis, qua vehabatur clariffima Princeps Maria Hispanico mari aduerfos ventos, tempeftatesque nõ fine magno periculo cum tota classe pertulit eregione oppidi Gallæciæ, quod Finis terræ dicitur. Quo tempore Regia ac perinde animofa virgo fociorum labefactatos fpiritus fecundioris fpe fortunæ inftaurauit. Apud Angliam nauis, qua eadem Princeps vehabatur bis incenfa eft, parumque abfuit quin tota fimul combureretur. Prius iuxta Baiam arcem Angliæ, cui supereminet conditum tempore Iulij Cæfaris caftellum, vbi veteriffima oftenduntur nunc tella. Iterum iuxta caftellum de Dobra, ciuitas quoque dicitur Dobra. Eademque bis Flandriæ vadis harenofis parum feliciter adnæfit, auxilioque omnipotentis Dei euafit. Quadraginta nouem dies per mare claffis nauiga-
uit.

Linquttur

*Linquntur a tergo intractabilis Anglia bello,
 Inque suos portus picta carina redit.
 Vix terram attigerat pedibus, vix denique Virgo
 Presserat, accurrit magna caterua virum.*

Illustrissimus vir Alexander Farnesius Parmæ, ac Placentiæ Princeps clarissimi domini Octauij Farnesij, illustrissimæq; Margarete ab Austria, inferioris Germaniæ moderatricis filius.

Margareta filia Imperatoris Caroli quinti Cæsaris.

*Inter quos Princeps iuuenis pulcherrimus ibat,
 Dulcis amor patriæ, Cæsaris atque nepos.
 Nomen Alexander Farnesius vnicus hæres,
 Thusco vectus equo, chrysea vestis erat.*

*Qui postquam vidit proprius, complectitur vhnis
 Sponsam, mox tales fudit ab ore sonos.*

*Salue Nympharum Hesperia decus alta propago
 Lysiadum, coniux auspice vecta Deo,*

*Dixerat, amplexuque tenet, quem Regia virgo
 Adspiciens, tepido perluit imbre genas.*

*Deiecitque oculos, subsudit & ora rubore
 Pulchra verecundo, conticuitque diu.*

*Nulla mora est, vltro ducit Farnesius Heros
 Nymphen, atque intra mœnia celsa rapit.*

*Hic Hymeneus adest, celebrant comubia Patres;
 Matronæq; simul dant pia thura focis.*

*Ventum est in templum, Nymphe generosa peracto
 Recte coniugio ducitur in thalamum.*

*Non tacuere tubæ, cytharæ, psalteria, letis
 Alta salutantum vocibus aula fremit.*

Plausit

Brachylogia.

Plausit in accessu populosa Brabantia, nata

Cæsaris ipsa magis gaudet adesse nurum.

Cæsaris filia mater illustriissimi viri Alexandri Farnesij Parmæ ac Placentiæ Principis dicitur Margareta.

Belgarumq; caput Gandauum, Parma, Cremona,

Ac Bruxella fremit, finitimique loci.

Cumq; Midelburgo Brugæ, Andouerpia Musis

O Ringelbergi nobilitata tuis.

Zelandia Insula circumdata maris, vnde Zelandus aum. Primus locus Zelandiæ Midelburgum ciuitas Zelandiæ caput, ad quam Princeps Marja venit.

Arridet varijs salebrofa Zelandia formis,

Inque suis ludit finibus, ante fores.

Agnoscent docti felicia sæcula Vates

Protinus, acclamant inque chorum coeunt.

In cælum palmas tollit quoque Flandria, vestit

Aurea tela viros, purpura pulchra domos.

Fæmineo generi Seres tegumenta, galeros

Talaris peplos dant, tuba rauca sonat.

Cernere erat Phrygios per frondea compita cursus.

Et turmas equitum ludere mille modis

Antiquos thyasos, mimos & ludicra nunquam

Antea visa, graues per que theatra Senes.

Et modo per funem volitat, modo pendet in alto

Æthere schænobates, atque repente volat.

Insuper exercent validis præ ludia belli

Viribus illustres, picta Chimæra furit.

Et modo belligeros armis imitantur Iberos

fur. i. furere videtur.

Interdum

Interdum Turcas, Marticolasque Getas
 Itque procul sonitus, franguntur pila, Macharæ
 Cornipedesque ruunt, aræ pulsa gemit.
 Et circum stantes longo curuamine metas
 Dura Lupata regunt ora ferocis equi.
 Cetera quid referam (quæ sunt longissima) versu ?
 Scriptores alios sit monuisse satis.
 Tandem Parma tenet, nemorosa Placentia gaudet
 Principis accessu, coniugioque pio.
 Clarissimæ Principis Mariæ, serenissimi Principis Eduar-
 di sororis, præstantissimique Parmæ Principis vxoris, a
 Cadabale Grauiio Calydonio editum Epithalamium:
 Loquuntur nouem Musæ.

Regis inuicti generosa Neptis
 Principi Parmæ thalamo recepta
 Tollit in cælum caput, atque tanto
 Coniuge digna est.

Vinam prolem generet beatam
 Cernat & gnatos, simul & nepotes,
 Spectet illorum fera bella, palmas
 Atque triumphos.

Vinam viuat Pyliam senectam
 Tempa gnatorum comitata turba
 Intret, & supplex Superos adoret
 Supplice mente.

Lata Belgarum populos, & vrbes

scilicet Emanue-
 lis.

Calliope.

Melpome-
 ne.

Euterpe.

alias corde,
 Erato.

Atque

Brachylogia.

Atque Lucorum videat recessus,
 Fluminum cursus, gelidoque caelo
 Plaustra, Booten.

Thure fumantes pia ditet aras
 Semper, instauret sacra templa, donis
 Augeat, mæstos inopes & ægros
 Adiuet ipsa.

Seruet hanc mundi fabricator, atque
 Præstet ornatum, meliora donet,
 Collocet summo meritam fouendo in
 Vertice rerum.

Sponsa sis felix nimium decentis
 Principis, rector Superum gubernet,
 Detque constanter faciles honores
 Hic, & vbique.

Virgo te Diuum celebrata cantu
 (Quæ Deum quondam peperit supremum)
 Ducat in celos, patriamque charam
 Post tua Fata.

Charoli salue speciosa neptis,
 Inter illustres magis apta Nymphas
 Nuptijs, Regum veneranda proles,
 Gloria matris.

Polymnia.

Vrania.

Terpsichore.

Thalia.

Clio.

Aliud

Aliud Epithalamium in nuptias clarissimi viri Alexan.
Farn. Parmæ ac Placen. Principis, Serenissi-
mæque Principis Mariæ inuictissi-
mi Regis Emanuelis neptis.
Cada. Gra. Caly.
authore.

HUc ades o Hymenæe reuinctus tempora fertis,
Te vocat ad thalamos regia Nympha suos.
Clarus Alexander precibus Farnesius orat,
Cætibus vt præsis, purpureoque toro.
Pulcher Hymen venias, princeps te spectat vterque,
Te numeris inhiat Belgica turba nouis.
Ocyus vt properes tibi rustica fistula cantat,
Te chorus, & thyasi, te tua pompa decet.
Nupsit Alexandro modo Lusitanica virgo,
Cui Mariæ est nomen, Lysiadumque genus:
Extulit ille caput, meritoque per alta vagatur
Sydera, magnorum flosq; decusque virum.
Cæsaris ille nepos, hæres virtutis auitæ,
Dulcis amor matris, gloria rara soli.
Hanc Dryades recolunt, hanc & coluere Napææ,
Ac docuit Pallas Pegasidesque Deæ.
Hanc pater & mater, fraterq; Duardus amarum
Diligit & Felix Iulia, chara soror.
Ipsa est quæ veteres vincat probitate Sabinas,
Teque maritali Penelopeia fide.

Brachylogia.

Ipsa tibi princeps multos deuota per annos
Constitit, & longam mansit adusque moram.
Eloquio facilis, vel cui Cornelia cedat,
Maiestate graues vicerit Hæmitheas.
Non ipsam Germana soror, non patria, frater
Non tenuit, propria nec pia mater humo.
Multum illi debes Princeps placidissime Parmæ,
Omnia posposuit fortis amore tui.
Puniceo qualis florens Hyacinthus in horto
Vincit honore fabas, myrtea virga rubos.
Inuidi regis talis celeberrima neptis
Hesperia Nymphis abstulit omne decus.
Inuidere tibi Princeps generosa decorem
Tres Diuæ, Iuno Pallas, & alma Venus.
Nympharumque chorus, pariter Nereides omnes,
Quas mare, quas tellus, quas & Olympus alit.
Huc igitur croceis velatus crura cothurnis
Mox concede pater, concio tota rogat.
Tristantur nimium mentes animique duorum
Præcipue, reliquos te sine mæror habet.
Huc lætos vultus, rubicundum & fronte galerum
Incensasque tuo fer quoque more faces.
Fer que Deos tecum recreant quos rura nemusque,
Capripedes Faunos, cornigerumque Senem.
Pan calamos per Pat, iungisque Hymenæe volentes,
Pan amat, ad thalamos dulce iocaris Hymen.
Flora rose, messemque Ceres, Pomana racemos,
Atque

Apostrophe

Alit. i. nutrit ac
fouet per excellē
giam dictum

Brachylogia.

Fol. 20.

Atque suas Genius sponte ministrat opes.
 Diffugient trisli venias si nubila vultu,
 Omnibus & populis gaudia mille dabis.
 Ipse per immensum Tyrio contectus amictu,
 Aera diffusis aduolitato comis.
 Nunc ad Regales mensas Hymenæe venito,
 Tibia te varijs clamat eburna modis.
 Pronuba Iuno veni, cui vincla iugalia curæ
 Sunt, moderata Venus, caste Cupido simul.
 Numina sunt præsto, fulsitque repente per altum
 Æthera Sol radijs, floribus arua rubent.
 Omnia leta oculis se ostendunt, pontus & ipse
 Strauit aquas, luci dulce melos resonant.
 Inferior que viret toto Germania tractu,
 Ac Bruxella suos gaudet adesse Deos.
 Tympana rauca tonant, totusque retunditur aer,
 Menia pulchra nitent, cornipedesque ruunt.
 Epithalamij finis.

Altera nupta soror magno, claroque Ioanni,
 Qui Bracchantinis Dux Dominusque datur.
 Cuius fronte decor, fulget cui pectore candor,
 Et virtutis amor cum pietate nitet.
 Illa nimis prudens, nomen Catharina, pudore
 Vincit Hamadryadas, Pieridesq; simul.
 Felices talem qui te genuere parentes,
 Quæ puerum accepit terra beata nimis.

Dominę Cathari
 nę Principis Edu
 ardi sororis Do
 miniq; Ioannis
 Braccantiæ Du
 cis dilectissimæ
 coniugis com ca
 datio.

Brachylogia.

SERMONEM AD CLARISSIMUM
Principem Eduardum conuertit author. Genethliacon
Horoscopumque eiusdem, atque etiam optimæ matris
Isabellæ erga charissimum filium affectus, necnon
pietatem breuissime signat, ac
depingit.

QUUM peperit genitrix, radiantia sydera cælo
Extiterant, Zephyro flante, fauente Deo.
Iuppiter adfulsit, Veneris quoque stella micantes
Direxit radios, Mercuriusque suos.
Adfuit & Genius redimitus tempora fertis,
Disperisitque solum frondibus, atque rosis.
Ac tibi nascenti porrexit Lilia Nais,
Baccare præcinxit casta Diana caput.
Te virtutis Amor, simul & Grynæus Apollo,
Pallas & Aonides composuere toro.
Blanditijsque suis Puerum sopiere iacentem
In cunis, læta Matre sedente prope.
Certatimque ornant omnes Heroida Diuæ,
Tempore protali carmine queque suo.
Regalique tua mox de probitate futura
Iuxta plaudentes, concinuerunt modos.
Concinuerunt modos, lacide, Charitumque vicissim
Turba benigna canit corpora nuda sales.
Tunc generosa Parens tanto lætissima partu,
Tristitiam

Qui habent nati-
tutatis Horosco-
pum sub Iouep-
lunæ Reges, Pri-
cipes potentes, ac
magnates sunt.

Heroida. i. claris-
simam dominā
Isabellā, serenissi-
mi Principis Edu-
ardi matrem cha-
rissimam, ac tali
tantoq; filio dig-
nissimam.

Tristitiam pellit non remorata grauem.
 Quam paulo ante sui properata in morte mariti
 Cœperat, assiduo sollicitata metu.
 Amplexuque tenens Salue charissime dixit
 Gnate meæ vires, atque iugalis amor.
 Hoc precor a Superis, rerum quibus alta potestas,
 Vt genitor qualis, talis & ipse sies.
 Nestoreos longe superes feliciter annos,
 Sit tibi vera salus, sisque decus patriæ.
 Te regat omnipotens ac tollat ad æthera mentem,
 Vt Regum possis, rite referre genus.
 Dixerat, & lachrymis vultum chlamydem grigauit,
 Osculaque impressit, fouit & ingremio.
 Salue magnorum Regum veneranda propago,
 Totius Hesperie dulcis amoris amor.
 Salue Lysiadum Sydus, clarissime Princeps,
 Terrarum maius quo nihil orbis habet.
 Salue virtutum fulgor, spes certa tuorum,
 Præstantes inter gloria prima viros.
 Parce precor vati, quem fors inimica repellit,
 Præcipitant casus, sollicitatque labor.
 Carmina pauca fero, tanto nec Principe digna,
 Attamen ingenij munera parua cape.
 Nostra Thalia rudis nunc non bene ducit aratrum,
 Et nescit sterilem vertere bobus humum.
 Egregias melius cantabo carmine laudes
 Ipse tuas, placeat quum mea Musa sibi.

Brachylogiæ

*Esto igitur Grauij vatis memor optime Princeps,
Regia progenies, qui dare magna soles.*

Ad eundem præstantissimum Principem Eduardum,
vt Herculeam virtutem imitetur, cum ipsius Herois
commendatione, Cad. Grauij Caly-
donij carmen.

*Pertulit haud solum, domuitque frementia monstra
Per terras, pelagusque manu sed & obuia dura
Opposuit morti constans sua pectora victor
Amphitryoniades bello fortissimus olim.*

*Hir suto tectus spolio, clauaque trinodi
Sumpta, Fortuna semper comitante, pericla
Contempsit virtute duce, ac consortia Diuum
Post obitum meruit, necnon monumenta reliquit
Clara sui nobis, Tantum valet inlyta virtus.*

*Hunc imitare virum Regum celeberrima proles,
Omnis quem prudens recolendo tollit in astra,
Æternumque decus tribuit persæcula Fama.*

Ad clarissimum Principem Eduardum de Cadabale
Grauio Calydonio Calliopes
carmen.

*Quum Grauius tentat laudes ac facta tuorum
Grandisona recitor e tuba, mox spargo liquore
Ora Caballino, capitique impono corollas
Mæonias, digne vt magno succedat Homero.*

De Sole, præclarissimoque Principe Eduardo serenissimi Principis Eduardi filio comparatio.

*Qualis ab Eoa Phœbus regione per altum
Enitet, & tenebras discutit, atque fugat.*

*Quacunq; incedis sic omnia fronte serenas
Magne Duar de tua, tristitiaque leuas.*

Ad præstantissimam prudentissimamque Principem
Isabellam serenissimi Principis Eduardi vxorem, claris-
simi Principis Eduardi matrem, ac strenui Brac-
chantiæ Ducis filiam Cadabalis Grauij
Calydonij carmen.

*Per noctem vt radijs nitidissima Luna coruscis
Excellit facile sydera cuncta poli.*

*Matronas inter claras clarissima Princeps
Sic fulges, varijs nobilitata modis.*

*Principis es mater Princeps & Principis vxor,
Præclarique Ducis, Principis atque socrus.*

Ordo est. Tu Princeps Isabella es mater Principis Eduardi, & vxor Principis Eduardi, atque socrus præclari ducis Braccantiz, atque Principis Parmæ, de quibus supra in Epistola.

*Regis & inuicti pariter nurus vna duarum
Diceris, & magni filia clara Ducis.*

Emanuelis.

*Magnanimosque breui sublimi ab stirpe nepotes
Aspicias felix ter que quaterque tuos.*

*Exulta Superis Princeps gratissima castis
Moribus, exulta nobilitatis honor.*

Brachylegia.

Doctissimi viri Fernandi Oliuarij ad serenissimum Prin-
cipem Eduardum, de partibus huius operis,
Monocolon carmen.

*Lysiadum Reges commendat Epistola, magni
Vindicis arumnas Heroica carmina monstrant.*

*Tertia pars tandem virtutibus Hercules æquat
Lusitanorum egregios clarosque triumphos.*

*At bona pars operis celebrat tua magne Duar de
Facta, patrisque tui, tollit quem ad sydera candor,
Necnon & matris laudes canit, atque sororum.*

AD SERENISSIMUM BENEFICIEN-
tissimumque Principem Eduardum, clarissimi Principis
Eduardi filium, inuictissimique Lusitaniæ regis Ema-
nuelis longe dignissimum nepotem Cadabalis Gra-
uij Calydonij extemporaneum, Monocolonq;
carmen, quum eidem Principi venatum
ituro sagittariam offerret balli-
stam, prolatum.

Regia progenies, præcellentissime Princeps
Virtutum cultor, simul ac spes ampla bonorū,
Gloria quem tollit merito super athera, cuius
Nobilitas, grauitas, pietas moresque resurgent
Inter mortales, veluti Sol aureus inter
Sydera. Lysiadum splendor, charique parentis

Forma

Forma nitens, matris peramabile pignus amoris.

Cantibus assiduis memorat quem nostra Thalia,

Accipe magne precor Princeps munuscula vatis,

Qui te, maioresque tuos pro parte virili

Prouehit in caelum, laudat, celebratque frequenter

Sponte sua, famam ac longum distendit in aeuum.

Accipe, nec nostrum spernas hoc tempore munus,

Quo per frondentes syluas, & denia rura

Venatum ire paras lepores, capreasque fugaces,

Cornigeros ceruos, nec non genus omne ferarum,

Quas Genialis ager, montes saltusque morantur.

Insuper & tentas, miscendo gaudia curis,

Vt pennata procul volucres defigat harundo.

Harundo pen-

Nec tibi si portes arcum, celeresque sagittas,

nata. i. sagitta.

Quas sero, molestum fuerit celeberrime Princeps.

Ipsa foris tegitur viridi ballista colore,

Vt venaturo sit spes in pectore semper.

Magnanimum Heroum quapropter o inclyta proles

Suscipe, nanque decet te aliquando sumere tela,

Proq; fide ac patria caput obiectare periclis.

Nec nunc, quale siet pauper quod dextra reportat, Attenuatio.

Considera, sed qua tibi mente animoque ministrem.

Serenissimi Principis responsum.

Accipimus, nobis nimium est tua grata voluntas,

Ac etiam tali gratum pro tempore munus.

Brachylogia

Ad eundem clarissimū Principem Eduardum de quorundam sequentium fragmentorum adiectione
Cadabalis Grauij Calydonij Monocolon carmen.

*Hos tibi Doctorum flores doctissime Princeps
Ex varijs hortis mitto, quos ipse notavi
Dignos esse tuis oculis, studioque frequenti.*

*Non graue sit quæso miti quo cætera vultu
Cernis, ad hæc celsam quoq; nunc conuertere mētem,
Quæ te defessum poterunt recreare parumper,
Atque animi mæstas depeller e pectore curas,
Si quid forte fiet molestum aliquando, quod absit.*

De mundi principijs & reuolutione.

MVndi rerumque principia, propter assiduam de illis quæstionem quam breuissime dicam. Turpe nescire videtur, quæ passim vel pueris obuia sunt. Principia eius numeros Pythagoras esse dixit, Epicurus atomos, Diodorus amere, in quibus partes non sunt, Asclepiades oncos tumores, Geometræ fines, Democritus ideas. Thales aquam, cuius sententiam confirmat Homerus, quum omnium rerum patrem vocat Oceanum, Parmenides terram, Zenon, Empedocles & Plato igne, aerem, aquam, terram. Aristotelici duo duntaxat memoria prodiderunt, scilicet materiam ac formam, quæ sententia

tentia sola probatur in scholis. Distant elementa & principia, quod hæc informia sint, & non corrumpantur, illa vero formata & corrumpantur, hæc duo, illa quaterna sint. Mundum pendentem in sese volui haud dubium est.

Solis ac Lunæ differentia.

MAximarum mundi partium Solis ac Lunæ sphaeras contemplari, eorumque discrimen intueri libet. Sub Sole omni momento meridies ac æstas est. Sol ubique medios dies, ac noctium opacitate diametro distans, assidue frondes, flores sylvas patula ramorum laxitate lasciuas, omnium rerum pulchritudinem amœnitatemque tuetur. Semper duos comites habens Venerem & Mercurium, quem Cyllenium appellamus. Contra Luna sola per tristes & horrentes tenebras, pauidasque umbras fertur. Nihil hæc nisi ignavos somnos, terribilia phantasmata, hiantes Lemures, sulphureos ignes, incognitas & varias rerum formas, vagantes spiritus, Faunorum Ludibria, nefanda monstra, lucifugas & inauspicatas aues, frigida tectos niue montes, horridam naturæ faciem, tristia silentia, adulteria, scelera, praua colloquia, furta, latrones, insidias, sanguineas cædes, stupra, raptus, insultus, funera, miserorū voces, suspiria singultus, ululatus, & quid non videt & audit? nullosque in agris

Brachylogia.

mortales aspicit, quorum genus omne penitus perijisse miratur. Ille vero lantos homines, prandia, conuiuia, pocula, nuptias, pompas, ioculares mimos, celebres ludos, triumphos, spaciosum Oceanum, longe lateque iacentes terras, & quicquid in orbe pulchrum est cernit, syderumque medius amplissima magnitudine, ac potestate fertur. Nec temporum modo, terrarumque, sed stellarum etiam ipsarum, caelique rector est. Hic totius mundi animus ac mens, nec non principale naturae regimen videtur esse. Ille lucem rebus ministrat, auferitque tenebras, reliquaque occultat sydera; nec non vices temporum, annumque semper renascentem ex usu naturae temperat. Ille caeli tristitiam discutit, atque etiam humani animi nubila serenat. Ille suum lumen ceteris quoque sideribus foenerat teste Plinio. Praeclarus, eximius, lucidus, omnia intuens, omnia exaudiens, ut literarum Principi Homero placuit Aureus illi color, argenteus Lunae. Sol diurnus, nocturna Luna. Sphaera Lunae terra minor est tricies nouies, Sol est amplior terra centies sexagies sexies. Ob duas causas Sol apparet maior hyeme, quam aestate, quod bruma nobis propior sit, & quod per aera nubilosum hyeme cernatur.

DE PHILOSOPHIA.

Philosophiae tres sunt. Physice, quae rerum naturas scrutatur. Ethice, quae mores, & viuendi leges docet. Logice, quae sermonis rationem complectitur. Haec continentur

tinentur Grammaticæ recte loquendi, scribendique scientia, vsu, ratione autoritateque cõstans. Dialecticæ, ars differendi vel docendi. Rhetoricæ, quæ modum loquendi apte, copiose, ac distincte docet aperte.

P H Y S I C A.

Ignis calidus est, Aer humidus, Aqua frigida, Terra sicca. Aer humidior est aqua. Quoniam quum duplex sit humor, aërius vt oleum, aqueus vt aqua ipsa, posterior facilius siccescit, & sicut aer superior aqua est, ita oleum aëris humor admixtus aquæ superiorem locum petit. Aqua colorem album, saporem dulcem, Terra fuscum colorem habet, saporem amarum. Ignis rubrum colorem, incertum saporem. Aer coloris ac saporis expertus est. Aer & Ignis mouendi vim habent, Aqua & Terra patiendi. Triplex ignis est, communis, quo quotidie vtimur, in corporibus animantium, quem naturalem colorem medici vocant, & Solis ignis quo florent omnia, quippe qui radix siue causa est aliorum ignium. Adhuc triplex ignis est, carbo, flamma, & splendor a flamma per aera fusus. Rerum Principia duo sunt materia & forma. Materia velut mater est, Deus pater, forma proles. Deus dat, sylua recipit, forma nascitur. Differunt creatio & generatio. Nam creatio generatione prior est. Creatio est Dei, generatio vero naturæ: Creatur quod suapte natura simplex est, partibusque carens, vt Anima

rationis

Brachylogia.

rationis capax, materia, forma, generatio compositorum. Quicquid generatur singulare est, species enim generari non possunt. Eorum quæ sunt, quædam sunt diuidua, hoc est ex aliquo composita, quædam indiuidua seu simplicia. Rursus diuidua aut sunt similium partium, quæ ex similibus componuntur, vt aurum, aqua, vinum. Aut dissimulorum, quæ ex dissimilibus partibus constant, vt domus, cauus, piscis, omniaque animantia. Natura est vis quædam insita rebus, similia de similibus producens. Umbra est aër sole carens. Nox est umbra terræ. Umbrae etiam Inferorum imagines dicuntur. Physici decuplam proportionem inter quatuor clementia esse aiunt. Ex quo colligimus ignem millicuplo esse amplio-rem terra. Quum ergo in bombardis expuluerit repente fiat ignis, tēporis momento ignis suū habeat locū, oportet. Hæc causa globum eijcit, nam proxima quæque cedere debent exoriente flamma. Quod etiam faceret stuppa si tota simul incendi posset, quemadmodum aridissimus ille puluis.

Animi vires.

Hominum animas in partes siue vires octonas diuidit M. Varro, harum esse quinque ait quibus sentimus, sextam, qua cogitamus, septimam, qua progneramus, octauam, qua vocem emittimus. Plato in Timæo tripartitam animam esse voluit. Primā rationalem partē
capitis

capitis arcem tenere, secundam excandescentiam in cordis receptaculo esse, tertiam cupiditatem in iecore. Mens siue animus, vt plerisque placet, pro diuersis officijs alia atque alia nomina fortitur. Anima nuncupatur dum vegetat, spiritus siue mens quando contemplatur, sensus quum sentit, animus quum sapit, ratio quum discernit, memoria quum recordatur, quando vult voluntas. Nōnulli sapere & recordari animum in cerebro, metuere in corde, cernere in oculis, in auribus audire, olfacere in naribus, gustare in palato & lingua, concupiscere in hepate, in omnibus denique corporis partibus, per quas nerui diffunduntur, sentire arbitrantur. Magna inter corpus & animum discrepantia. Nam corpore nihil nisi præsens, & quod adest sentire possumus, animo autem & præterita & futura. Hic momento cuncta percurrit, Corpus tardū atq; hebes testudinis more graditur, quod tamen ipsum facere non posset, nisi animi vi ac impulsu moueretur. Corpus quum senescit in dies fit deformius, animus cōtra vetustate fit illustrior. Habitus animi est duplex intellectus & voluntatis. Intellectus, prudentia, Grammaticæ, Rhetoricæ, Dialecticæ, ac omnes artes. Voluntatis, iustitia Fortitudo temperantia.

Differentia inter animum, animam
& mentem.

Animus, anima ac mens differunt nam animo sapimus,
anima viuimus, mēte diuina cōtemplamur, estq; animo
mens

Brachylogia.

mens præstantior, idcirco scriptores omnes, quum de Deorum cultu loquuntur, mentis vocabulo vti malunt, quã animi. Ouidius. *Mente Deos adit Aufonius.* Omnipotens quem tota mente colo pater vnice rerum. Anima igitur viuere, animo sapere, mente vero Deorum naturã scrutari dicimur.

DE ANNO.

A Nnus est quadruplex, scilicet Lunaris, Arcadicus siue Chaldaus, vertens siue solaris ac magnus. Lunaris nihil aliud est quam mensis, Arcadicus siue Chaldaus tribus constat mensibus. Quale spatium est ab æquinoctijs ad brumam vel solstitium, Gartens annus siue solaris est tempus ter centum & sexaginta dierum cum quarta diei parte, vel spatium, quo Sol Signiferum ambit. Magnus annus spatium est, quo sidera omnia ad eundem redeunt locum. Hic quadraginta nouem vertentium annorum millibus constat. De quo sic apud quempiam legi. *An nouus mundus redijt Platonis Anus? & quicquid fuerat peractis omnibus cœli spatijs refertur ad rude corpus?*

Vertentis anni partes quatuor sunt, Ver, Æstas, Autûnus, Hyems. Veris tempore Sol in Ariete, Tauro & Gemi. est. Æstate, in Canc. Leone, Virgine. Autumno, in Libra, Scorpione, Sagittario. Hyeme, in Capri. Aquario, Piscib.

Quatuor

Quatuor itidem anni mutationes sunt, æquinoctium
 vernum, æquinoctium autumnale, solstitium æstiuale,
 solstitium brumale, Duæ sunt causæ, quamobrem hye-
 me Solis calor remissior quam æstate sit. Altera quòd
 ocyus ille tum occidat, nec possit aër ob temporis angu-
 stia calefcere, altera, quòd radij obliquè in terrâ conijciã
 tur, ac minor sit reflexio. Hæc breuiter de anno atque
 partibus eiusdem.

DE ZONIS.

Zonæ sunt spatia inter minores circulos comprehensa.
 Sunt autem quinque, frigidæ duæ sub mundi vertici-
 bus, temperatæ totidem, & mediatorrida sub

Signifero. Debis Ouidius. i.

Metamorphoseos.

VT que duæ dextra cælum totidemq; sinistra
 Par te secant Zone, quinta est ardētior illis,

Sic onus inclusum numero distinxit eodem

Cur a Dei, totidemque plagæ tellure premuntur.

Quarum quæ media est, non est habitabilis æstu.

Nix tegit alta duas, totidem inter vtranzq; locauit,

Temperiemque dedit mixta cum frigore flamma.

Vergilius

Brachylogia.

Vergilius Georg. primo.

Quinque tenent cælum Zonæ, quarum vna corusco

Semper Sole rubens, & torrida semper ab igni.

Quam circum extremæ dextra leuaque trabuntur

Cœrulea glaciæ concretæ, atq; imbribus atris.

Has inter mediamque duæ mortalibus agris

Munere concessæ Diuum.

Artium ordo ac subiecta.

Dvo sunt artium genera. Alterum mechanicum, vt Lanificium, Nautice, Agricultura, Chirurgia, sic dicta quod manuum officio exerceatur. Alterum, quod præceptionibus magis & animi meditatione, quam corporis exercitatione discatur. Hoc diuidi potest in quinque formas scilicet. in Logicen, Mathematicè, Moralem, Naturalem, Supernaturalem. Logices partes sunt Grammaticæ, Dialecticæ, Rhetoricæ. Mathematicæ sunt Arithmeticæ, Musicæ, Geometriæ, Astronomiæ. Moralis partes sunt Ethicæ, Æconomice, Politicæ. Naturalis Physicæ, ac Medicinæ. Supernaturalis Methaphysicæ, atque Theologia. Septem priores liberales vocantur artes, quod liberum requirunt animum, quæ hoc versiculo per septem priores syllabas signantur. Gram re lo ar mu ge as hominum preciosa supellex. Politicæ sunt duæ partes. Ius ciuile & militaris disciplina siue scientia, quæ in terrestrem, naualemque distribuitur.

Mechanicarum

Mechanicarum artium subiecta sunt Lana, nauis, agri.
 Grammatices loquutio. Dialectices argumentatio.
 Rhetorices eloquentia. Arithmetices numeri. Musices
 numerorum consonantia. Geometriæ magnitudo.
 Astronomiæ magnitudo cum motus ratione. Ethices
 quæ virtutum ac vitiorum genera tradit, summum bo-
 num. Oeconomices, res domesticæ. Politices resp. Phy-
 sices corpus. Medicinæ corpus humanum. Metaphisices
 ens. Theologiæ Deus.

Rursus artium genera tria sunt. Animi tantum vt Poe-
 tice, Musice, Astrologia, Grammaticæ, Rhetorice, Iuris
 scientia, Philosophia. Corporis, vt iaculatio, saltatio, ve-
 locitas. Animi & corporis simul vt Agricultura, Pallæ-
 stra, Chirurgice. Denique omne artium genus aut est
 inspiratum vt Theologia, aut inuentum vt Philosophia,
 aut mixtum vt Diuinitio.

HOMINVM PHYSIONOMIA.

Magnum caput hebetes stolidosque notat, vt in a-
 finis, minutum fatuos, mediocre felix ingenium,
 cacuminatum inuerecundos. Plani capilli simplices, ere-
 cti vel crispi timidos, vt in Æthiopibus, densi prauos si-
 gnant. Frons valde parua indociles vt in suibus, rotunda
 tardos hebetesq; longa adultores vt in canibus, quadrata
 magnanimos

Brachylogia.

magnanimos, vt in leonibus. Aures magnæ crassæque astutum, callidum, fraudulentum, tenues ac breues docilem magnificum atquæ bonæ indolis. Oculi subrubentes verecundos, parui pusillanimes magni tardos ac mēdaces, eminentes fatuos, ocyus circumvolubiles ganeo- nem, tardioris motus pigrum inertemque significāt. Nasus rectus intemperantiam linguæ, acutus iracundiā, obtusus molliciem, aduncus, qui & aquilinus regalem præstantemque animum, modestiam, humanitatem magnificentiam, hospitalitatem, antiquos mores, erga doctos & studiosos singularem amorem & gratiam, agrorumque culturam ostendit, simus immodestiam, voracitatem, mendacia, dolos ac scortationem, minor fraudem & rapacitatem, apertus animi vim, corporisque robur, rotundus obstructusque stoliditatem ac secordiam, obliquus intortusque mentis animorumque obliquitatem. Dentes parui imbecilles, & pauci debilem hominem significant, felici ingenio, mansuetum, timidum, breuisque vitæ. Fusca facies fortes signat, impendio nigra vel alba timidos ac leues vt in Æthiopibus & mulieribus. Collum longum pedes longos, gracile graciles indicat. Pectus amplum aut prominens fortem & audacem. Motus velox inconstantes, segnis hebetes, tardus graues & animosos. In hominibus magnæ stature plus roboris est corpori, in paruæ animo. Quippe quanto magis est dispersa virtus tanto imbecillior, vnita vero seip̄ta fortior existit.

De animalibus quædam summatim.

BOs constans laborumq; patiens est. Asinus piger ac tardigradus, qui propter cutis duriciem vulnera non sentit. Equus omnium animantium formosissimus, incenditur libidine, fœminamque petit impetuose, bello cruentoque prælio gaudet. Lupus mitescere nequit, vrgēteq; fame fit ravidus. Vulpes infidiosa, callida & cauillatrix, dolique capax. Ceruus timidus, viuax & primo cursu nimium velox. Formica laboriosa prouidaq; temporis hiberni pabulum æstate accuratissime condit. Apis parca vigilansque. Canis gratiofus, ad amicitiam propensus. Leo solitarius, societatis expertus, pabulum hesternum nunquam admittens, tanta vocis magnitudine ac sonitu grassatur, vt solo rugitu celerrima quequæ animantia prosternat. Ursus pigerrimus solitarius, somnolentus, corpore graui, compacto & indistincto. Panthera vehemens, & ad impetus faciendos propensa pernixque, ita dicta, quasi tota fera. Anguis æstate virulentus, nitidus, mordax, hyeme piger, cauernis secondens, fœniculique succo lippitudinem oculorum curat. Fides in Canibus, in Elephantibus mansuetudo. Studium ornatus in Pauone. Luscinia vocis amœnæ, suauisque cura.

Canis Dianæ sacer, Aquila Ioui, Tygris Baccho, Pavo Iu noni, Leo Cybeli, Equus Neptuno, Apollini Cygnus, Anguis Æsculapio, Coruus Phœbo, Asinus Libero patri, Gallus Marti, Columba Veneri, Noctua Mineræ,

E Lupus

Brachylogia

Lupus etiam Marti, Anser quoque Junoni, Soli Phœnix.
Animantia omnia in tres formas Plato distinguit, in volatile, aquatile ac terrestre.

De Auibus.

Innumerabiles sunt auium species. Aliæ plumarum opibus ac picturis admirandæ, sicut pauones, aliæ niueo candore insignes ut olores, aliæ contra decente nigrore lucentes, ut corui, aliæ corporum proceritate præminentes, velut struthiones siue struthiocameli, aliæ fabulosæ, miraculisque celebres ut Phœnix. Aliæ fecunditate commendatæ, velut columbæ, aliæ mensis lautorum gratæ, ut perdices, cothurnices, turtures, turdi ac phœdres, aliæ loquacitate iucundæ, ut psittaci, picæ, sturni, aliæ cantu mirabiles, ut luscinia, merula, aliæ fortitudine animi præstantes, ut Galli gallinacei, aliæ delitijs hominum natæ, ut paserculi. Aquila carniuora, rapax, prædatrix, populatrix, altiuola, bellatrix, solitaria, omnibus auibus inuisa, & omnium pestis. Musca volucrum stultissima. Vespertilio noctiuagus atque lucifuga. Vespæ viperinis carnibus vescuntur, vnde pestifer earum morsus infigitur. Gryphas ac Pegasos fabulosos esse Plinius arbitratur.

De

SYrenes filiae fuerunt Acheloi & Calliopes Musæ. Quarum prima voce, secunda cythara, tertia tibijs aiunt canere. Hæ cantus amœnitate nautas sopire, sopitosque submergere dicebantur. Vnde pro meretricibus accipi solent, quæ verborum lenocinijs blandiuntur, vt miseros exugant amantes. Superne fœmineum habent corpus, inferne vero desinunt in pisces. Earum nomina sunt Aglaosi, Tescipoi, Pismo, Iligi. Sunt qui addant Leucosiam, Ligiam, Parthenopeiamque, aqua Parthenope vrbs dicta.

Animalium & auium voces.

ELephantes barriunt, runcant Tygres, rugiunt Leones, fremunt Lynces, vncant Vrsi, vlulant Lupi, frendent Apri, glocitant cerui & Onagri, mugiunt Tauri, hinniunt Equi, Quirritant Verres, rudunt & Oncant Asini, blaterât Arietes, balât Oues, gruniût Sues, mutiût hirci, Latrât Canes, ganniût Vulpes, vagiût Lepores, mintrant Mures. Mustellæ diatriunt, grillât Grilli, Sibilat Serpēs, Rana coaxat. Quæ ad auium voces spectât verba sunt hæc. Varij sunt auium cātus. Gallis expergificus, Bubonibus gemulus, Vlulis querulus, Noctuis Stridulus, Cicadis

Brachylogia.

obstreperus, Harundinibus perargutus, Luscinijs dulcis. Turdus trutilat, pisitat Sturnus, cacabat Perdix, gratitat Anser, Turtur & Columba gemunt, Plausitant Palumbes, tetriniunt Anates, Grus gruit, Cycnus drensat, pipat Accipiter, Miluus Lipit, Galli cucurriunt, Gallina gracillat, Pauo pupillat, Hirundo trinsat, Aquila clangit, Vultur pulpat, Coruus crocitat, Graculus frigulat, glotorat Ciconia, Passer pipit, Cuculus cuculat, Cicada fritinit, bombilant Apes, Bubo bubat, Stryx & Vespertilio strident, Noctua cucubat, vlulant Vlulæ Regulus & Merops Zinzululant, Turtur & Columba gemunt, Acredula mitilat, Anser gratitat, Psitacus & Pica varia loquacitate humanas imitantur voces, Philomela mille discrimina vocum contexit. Quæ restant quærantur ab alijs, nobis hæc notauisse sit satis.

Vespertilio sola volucrum animal parit, habet que propennis membranam. Pullos lacte nutrit, vbera admouens, infantes amplectitur, secumque deportat. Culices amat in cibatu, sola volucrum dētes, & mammas habet. Aues in auspiciatæ sunt Cornix, Coruus, Bubo, Noctua, Parihæ, Auis incendiaria. Quibus etiam adduntur ex aliorum animalium genere diuerso, Prægnans Canis, Lupa raua, foet. Vulpes, Mustella & Lepus. Aues nocturnæ sunt, Bubo, Picus, Trogo, Stryx, Cornix, Noctua. Avium aliquæ ambulant. vt Cornices. Saliunt aliquæ, vt Passeres & Merulæ. Aliæ ante se pedes iaciunt, vt Grues, & Ciconiæ: Aliæ expandunt alas, pendentisque raro in teruallo quatunt,

quatiunt, Aliæ tota latera pandunt, Quædam compressis
pennis volant, Aliæ iaculantur le in sublime, in rectum,
in pronum, Alię videntur ab alto cadere, Aliæ salire.
Auium fœcundiores sunt fugaces, quam fortes.

Brachylogiæ sive Laconismi finis.
Laus Deo.

AD GENEROSVM AC PERINDE VIR-
tutis studiosum oratorem, atque Poetam Petrum ab
Andrade, serenissimi clarissimique Principis Eduar-
di Cubicularium, Cadabalis Grauij Calidonij
Monocolon Encomiasticonque
carmen.

*Quum tibi sint mores, grauitas & fulgida virtus,
Religio, pietas, & quæ studiosa vetustas
Laudibus eximjs olim tollebat in astra.
Et pater omnipotens semper tutetur vbique
Te ipsum pro meritis, animum mentemque gubernet,
Principibus charum faciat, magnisque perinde
Regibus, haud valeo calamum retinere volantem,
Quo minus insignem, quo te complector, amorem
Apperia n paucis, quantum mea rustica Musa
Concedit, quanquam variarum pondere rerum
Nunc oppressa iacet, lucemque perosa latefcit.*

*Quæ. f. documē-
ta inſtitutaque,
bene beateque
viuendi.*

Brachylogia.

*Est genus antiquum, et maiorum gloria, præstas
Forma, nitor, probitas, veterum prudentia, candor,
Ingenium clarum, & cunctis moderatio rebus.*

*Tali ac tanto Lusitania gaudet alumno,
Qui sibi reddiderit magnum bene natus honorem,
Et veram laudem, varijs ornatibus aucltus.*

*Tu patriam decoras, quæ te suscepit alendum
Leta suo gremio puerum, fouitq; receptum.*

*Tu natale solum illustras, clarosq; parentes
Qui te felices (fuluas qua miscet arenas
Oceano Durius, Nymphasque fremendo marinis
Flauicomas iungit, Diuus qua templa Ioannes
Pulchra tenet) quondam genuerunt sub Ioue dextro.*

Periphrasis a loco, quasi dicat Petrus ab Andrade vir egregius, & quavis laude dignus natus est a claris parentibus in ciuitate quæ Portugalia dicitur, nõ procul ab ostio Durij lita.

*Nascentem eiusdem celso de vertice nata
Sacra Minerva sinu lactauit,sertaque Nymphæ
Imposuere tuo capiti, cecinereque circum,
Nec procul a cunis letas saliere choreas.*

*Ad fuit & Pichò, cui gratia grata loquendi
Concessa est, Genius florentia Lilia, necnon
Lectos Pierio flores de culmine fulit.*

*Quumque per ætatem fieres iam grandior, ori
Expressere Dææ dulcissima mella fauosque
Thespiades, Phæbo simul & præsentè Diana.
Excultus studijs, (omni leuitate remota)*

Conspicuisq;

Conspiciusq; simul ver su, pariterque solute
 Eloquio pollens, solitoque pudore r efulgens
 Intr as egregiam, generosi Principis aulam,
 Accepit que libens te protinus ille benigne
 Gaudet adesse sibi, iuxtaque cubilia præsens
 Audit & alloquitur præsentem maximus Heros. Heros. i clarif
 Te probat atq; frequens in te noua munera cōfert, simus Prin-
 Asidueq; vocat, committit & omnia, tandem ceps Eduardus
 Non aliter deamat, quam olim Cythereia proles
 Per mare per terras fidum dilexit Achaten
 Cætera quid referam, quæ sunt manifesta cuique
 Sani iudicij? carmen natura negauit.
 Sed mihi sat fuerit reliquos monuisse Poetas,
 Qui te collaudent, cantuq; ad sidera tollant.

Vale tuorum decus, meque vt facis ama, cla-
 rissimoque Principi commenda.

In Cadaballinæ breuitatis, ac elegantis styli laudem in-
 geniosi adolescentis Didaci de Arroio Valcaceris, Au-
 riensis oratoris neçnon Poetæ Distrophon-
 carmen.

Quod breuiter Cadabal describas omnia, laudo,
 Nam breuitate nihil gratius esse reor.

Inspidos

Brachylogia.

Inspidos nullus dorso portabit a sellus

Libros alterius, sed manus vna tuos.

Hoc facit ingenium, facit hoc sapientia velox.

Vbertas animi, perpetuusque labor.

ali. libertas.

Cuiusdam ingeniosi adolescentis in temerarium
delatorem Distrophon carmen.

INuide quid rides? dentemque indente retundis?

Tydigene Cygno vix nocet inuidia.

Al. latras.

Ipsa tibi primum rodentur viscera, tute

Pondus stultitiæ, suppliciumque feres.

In caput ætheria fulmen vibrabit ab arce

Iuppiter, horrentes ibis & in tenebras.

Tisiphone seuo quatiet tua terga flagello

Fortiter, ac sceleris Tartarus ultor erit.

Propterea prauum mordax compeſce labellum,

Sintque rogo posthac verba canina procul.

Canina Idest
mordacia, Per
metaphoram.

Comprimito turpem linguam, nasumq; malignum,

Non est quod carpas, sed quod amare velis.

Deo opt. max. cui omnia accepta
refero, immortales gratias

ago, sempiternamq;

gloriam tri-

buo.



Res.
3429V.



